DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ROBERTUS STARK,

Scotus,

CHIRURGUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ABERNETHY & WALKER.

1818.

THOMAE YOUNG, ARMIGERO,

DE ROSETTA, IN COMITATU, DE PEEBLES,

NUPER NOSOCOMIORUM MILITARIUM GENERALI INSPECTORI,

OB AMICITIAM VERE PATERNAM

ET

INNUMERA BENEFICIA

ADEO BENIGNE COLLATA,

HOC, QUALE EST, OPUSCULUM,

ANIMI GRATI TESTIMONIUM,

D. D. D.QUE

AUCTOR.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSENTERIA.

Dysenteria frequens morbus est, praesertim in regionibus calidis; plerumque gravis, et saepe admodum periculosus. Exeunte aestate, aut ineunte autumno, plerumque longe lateque per populos grassatur, et praecipue in locis paludosis, ubi saepe cum febribus intermittentibus vel remittentibus conjungitur, ut Cullen, Pringle, Zimmerman, aliique haud parvi nominis aucto-

res testantur. Convenit quoque inter omnes, ob naturam ejus pestiferam, per classes, exercitus, valetudinaria, et urbes obsessas potissimum saevire, vel ubicunque magna multitudo hominum in unum congregata, vitae ac victus communitate utitur. In hujusmodi locis plerumque lethalis est, frustra saepe obstante medicina.

MORBI DEFINITIO.

Morbum, quem hujus opusculi argumentum selegi, Cullenus, in nosologia summus auctor, sequenti charactere, quo a cunctis aliis affectionibus distingui potest, tam clare quam breviter definivit : " Pyrexia contagiosa ; dejectiones frequentes, mucosae, vel sanguinolentae, retentis plerumque faecibus alvinis ; tormina ; tenesmus."

MORBI HISTORIA.

Dysenteria variis modis adoritur: interdum aegrotus rigoribus, cum lassitudine, magna cum debilitate, capitis dolore, cibi fastidio, amaro oris sapore corripitur; hisque calor auctus, frequens arteriarum pulsus, dorsi ac lumborum dolor, nausea, et interdum vomitus materiae saepe biliosae superveniunt: paulo post, plus minusve cito, sitis urget, et intestina male se habent.

In aliquibus autem exemplis nulla fere pyrexia praegreditur; sed initio liquidis alvi dejectionibus accedunt intestinorum torsiones et crebri ventris dolores, frequens dejiciendi cupiditas, alvus excrementa, admodum foetida, et saepe exigua quantitate, ex muco adipe simili, aut sanguine intermixto, excernit, retentis plerumque stercoribus naturalibus.

Pyrexia comitans est admodum varia: non-

nunquam generis inflammatorii, nonnunquam formam intermittentis vel remittentis, saepe autem typhi speciem cum putredinis signis comitantibus assumit. Interdum autem febris nulla fere adest; vel morbo progrediente, aliquando evanescit, signis dysenteriae propriis perstantibus. Interdum post dolorem auctum, vel operationem medicamenti cathartici, faeces alvinae excernuntur: fere semper admodum parcae sunt, et globulis duris similes (qui medicorum lingua scybala vocantur,) cum aliquo, sed brevi torminum levamine. Saepe autem nihil aliud praeter mucum spumosum, plus minusve foetidum, et sanguine tinctum, dejicitur *: imo interdum merus quidem sanguis et † pus purum evacuatur; et excrementa nonnunquam filamentis, caruncuIis, quae tunicae intestinorum villosae similes sunt, scatent.

Nonnunquam etiam vermes ‡, plerumque lum-

---

* Moseley on Tropical Diseases, p. 169.

† Dr D. Monro on Diseases of Military Hospitals, vol. i, p. 63.

‡ Moseley on Tropical Diseases.

brici, sed aliquando ascarides, dejiciuntur. In hoc morbi gradu anus saepe prolabitur; dysuria vel ischuria, licet rarius, sed saepius lienteria, supervenit: nonnunquam lumbrici ex ore evomuntur, ut PRINGELIUS memorat. Lingua, urgente morbo, muco alba squalet, et aeger nausea afficitur. Quamvis dejectiones fere semper parcae sunt, res tamen nonnunquam longe aliter se habet; testatur * enim ZIMMERMAN, quadraginta laticis aquosi libras uno vertente die dejectas fuisse. Aegri saepissime indies, plerumque quindecies aut vicies, et interdum multo saepius, desidunt. In hoc morbo pulsus arteriarum varii sunt; sed plerumque debiles, et tardi, sub finem morbi evadunt. Horum symptomatum plura vel pauciora mortem anteire solent; cuncta enim rarissime in eodem aegro observantur. Tempus, per quod duret morbus, est admodum incertum, et multum ex astantium cura, medicamentorum usu, et aliis rebus, necnon cura quam suimet aegrotus habet. Ae-

* Vide Zimmerman de Dysenteria.

ger modo die quarto vel quinto, modo decimo sexto, tollitur; nec raro in tempus multo longius superest. In quibusdam casibus valde mitis est morbus, et remediis lenioribus cedit.

Si morbus facie gravissima et fatali fuerit, omnia haec symptomata adaugentur; dolor fere perpetuus est et vix tolerabilis; in faucibus plerumque aphthae apparent; arteriae imbeciliter aut exiliter micant; os et lingua crustis nigricantibus obducuntur, et maculae in facie, aut pustulae nigrae pone aures erumpunt; urina et stercora foetidissima aegro inscio elabuntur, aut tenesmus tantus est, ut perpetuo hiet anus, unde enemata statim redduntur, aut ita constringatur, ut nihil possit emitti: singultus, et, ut Riverius addit, item crurum oedemata superveniunt.

Debilitas summa est, et syncope saepe accedit: frequenter extrema frigescunt, et sudores frigidi prorumpunt; facies pallescit, et fere cadaverosa sit; pulsus arteriarum lenis, parvus et tremulus fit; tandem, doloribus ex toto conquies-

centibus, delirium leve accedit, et convulsiones et mors superveniunt.

CADAVERUM INCISIONES.

Quamvis omnia viscera abdominalia interdum afficiuntur, tamen intestinis, praesertim crassioribus, plerumque insedit morbus. Colon et rectum solito crassiora, et aëre distenta inveniuntur, saepe inflammata, exulcerata et gangraenosa.

In multis morbi exemplis intestinorum crassiorum superficiem internam occupant tubercula parva, quae Baker pustulis variolosis comparat. Parva rotunda nigri coloris puncta circa eorum bases observantur.

Interdum videntur similia parvo ulceri corrosivo in intestino, in quo marginum prominentia dat similitudinem substantiae amissae, aut quasi tunica villosa ex toto amoveretur *.

---

* Vide John Hunter on the Diseases of the Army in Jamaica, p. 230.

Haec tubercula in coli cellulis saepe reperiuntur; interdum quoque in membrana cellulari peritonaei colo et recto proxima. Cleghorn plerumque animadvertit, superiorum intestinorum partem sanam, partes vero inferiores aut inflammatas, vel membranacearum substantiarum ope, sibi invicem praeter naturam adhaerentes. Duorum hominum dysenteria laborantium omentum prorsus fere delatum ab eodem est inventum. Parvae ejus reliquiae omnino nigrae fuere, et materies purulenta alba in abdomine detecta est. Vesica fellea utplurimum bilis nigricantis plena, et saepe multum aucta, invenitur; splenque saepe plus minus putridus existit. Renes quoque plus minusve imminutos invenit Pringle; neque ventriculus ipse, vel caetera viscera abdominalia, morbi effectus semper manent immunia.

Etiam externa abdominis integumenta inflammatione ejusque sequelis interdum affecta sunt. Glandulas mesentericas multum auctas, et lienem induratum compluresque abscessus in ejus substantia observavit Christie.

CAUSAE PRAEDISPONENTES.

Inter omnes convenit, cuncta, quae corpus infirmant, homines huic morbo obnoxios reddere, praecipue eos quorum vires morbi praegressi consumpserint; nam in classibus, castris et urbibus obsessis, illos quorum corpora morbis praegressis debilitata fuerint, prae aliis dysenteria corripere videtur.

Causae quoque sunt animi affectiones, ut metus, anxietas, &c. labor, vigilia, excubia, ebrietas, calor magnus, praesertim si humiditate conjungitur, diaeta parca, aqua impura, defectio aëris, cibi animalis usus nimius, vapores putridi cadaverum quae insepulta putrescunt, vel vegetabilium putrescentium, et incuria munditiei, quae quidem omnia morbi hujus actioni insigniter favent. Hinc morbus saepe in classibus, castris, et urbibus obsessis grassare solet.

CAUSAE EXCITANTES.

INTER causas occasionales seu excitantes contagium, halitus cutis repressus, frigus cum humore conjunctum, fructus immaturi, aliaque bene multa ab auctoribus memorantur. D. RUSH dysenteriam paludum anhelitus, et contagionis prolem *, SYDENHAMUS febrem introversam † appellant.

Quoad omnes autem has causas excitantes, si contagionem excipiamus, verisimilius redditur hanc inertem, seu actionis expertem in corpore sublatuisse, dum illae, frigus nimirum, humor, et frugum abusus, debilitatem, mali necessariam, induxerint. Quod ad fruges quidem attinet, eadem a MONRONE, ZIMMERMANNO et PRINGLIO, in dysenteriae curatione multum commendantur.

* Med. Ext. vol. iv. † Opera.

CAUSA PROXIMA.

De causa morbi hujus proxima scriptores multum inter se variant. Quidam, neque profecto parvi nominis, auctores materiam acrem pro causa proxima habendam esse contendunt; minus recte tamen, si mihi judicare fas sit; plura enim symptomata per causam morbi proximam a summo Culleno redditam, quam per ullam aliam explicari possunt. En Culleni verba celeberrimi *.

Proxima causa dysenteriae, aut saltem pars maxima causae proximae constat in constrictione coli praeter naturam, concitante eodem tempore illos nisus spasmicos, qui sentiuntur in gravibus torminibus et qui nisus deorsum propulsi faciunt istos frequentes sedes mucosas et tenesmum.

---

* Cullen's First Lines Practice of Physic, vol. ii, p. 57.

De causa quoque morbi hujus proxima disserens, celeberrimus professor noster GREGORIUS haec verba facit: Creditur oriri a constricta aliqua parte intestinorum, praesertim colo, quo fit ut hoc, quamvis multum irritatum, nihil fere demittere possit *.

RATIO SYMPTOMATUM.

SECTIS cadaveribus, tunicae villosae coli et recti, quae semper inflammata reperiuntur, potissimum insidere morbum constat.

Huic inflammationi magna ex parte debentur multa symptomata urgentia. Quoniam autem haec adeo numerosa existunt, solummodo praecipua perstringam. Tormina, quae aegrum adeo cruciant, oriri videntur a stercore diutius retento. Id enim vi mechanica sive chemica intestina ita stimulat et irritat, ut vehementem

* Vide Gregor. Conspectus Medicinae Thoreticae.

dolorem excitet. Quum intestina tot nervis sunt instructa, cur a causis levissimis dolore afficiuntur, facile est colligere. Tenesmum afficiunt summa debilitas et inflammatio recti, quae a muci, morbi principio, frequentibus dejectionibus educti defectu, pendere videntur. Tenesmum a consensu qui inter rectum imumque canalem alimentarium intercedit, provenire, complures existimant, motum, nempe, peristalticum intestinorum supra tormina, infra tenesmum gignere. Dejectiones mucosae occurrunt, propter auctam intestinorum actionem, quam facit irritatio, unde glandulae, ibi sitae, magnam vim muci secernunt. Hic mucus indolis morbidae est, quae irritationem servat, crebrisque alvi dejectionibus, immani dolore stipatis, originem praebet. Dejectiones sanguineae pro causa agnoscunt rupturam vel erosionem, sive, secundum Morgagni, deletionem vasorum superficiei intestinorum internae impensorum. Scybala generat internae coli et recti superficiei inflammatio; namque tunicae eorum crassiores evadunt, et spasmodice afficiuntur, passimque

constrictiores, angustioresque fiunt, quas ob causas faeces non redduntur, sed tenuior earum pars stagnando resorbetur, crassior autem diutius retinetur, et quum detrudatur, cellularum in quibus delituerat, formam prae se fert, substantiam membranas referentem, quae una cum dejectionibus elabitur, alii pro lympha coagulabili, alii autem pro parte tunicae villosae abrasae, habent. Tunicam villosam non abradi solere, nisi quum intestina gangraena laborent, opinatur ZIMMERMANNUS. Hoc tempore interdum supervenit dysuria, quam gignere creditur inflammatio a recto vicino ad vesicam propagata, vel partium consensus.

DIAGNOSIS.

D. RUSH Americanus, et cel. BALFOUR, Bengalensis, dysenteriam intestinorum febrem statim appellant, eamque ad eundem spasmorum ordinem cui diarrhoea, lienteria, colica, et cho-

lera annumerantur, referre maluerunt. A diarrhoea autem natura sua pestifera et pyrexia plus minusve gravi praegressa dignosci potest. Porro, dejectionibus diarrhoea laborantibus, quippe copiosae, et naturales, sunt penitus diversae. Lienteria affectis ingesta parum mutata celeriter, nullo fere gravi ventris dolore comite, dejiciuntur, quae res dysentericis omnino diversa est. A colica stercoris vomitu, umbilici retractione, abdominis musculorum spasmis, alvo astricta, et pyrexia nulla praegressa, secernitur. A cholera denique surarum spasmis, humoris fellei vomitione, ejusdem simul dejectione frequenti, et pyrexia nulla comitante distinguitur.

PROGNOSIS.

Judicium de eventu e signorum violentia, tempore quod malum duraverit, aegri viribus, et remediorum effectu, pendebit. Si, ineunte morbo, dejectiones copiosae fuerint, tormina et te-

nesmus non gravis urgeant, pyrexia levior sit, nausea et vomitus parum fatigant, nec aegri vires frangantur, faustus exitus jure sperandus est. Contra, ubi desidendi conamina frequentiora sunt, ingentem dolorem afferunt, et parum aut nihil fere egerunt, saevaque tormina et inexplebilis desidendi cupiditas et magnae debilitatis indicia, insignis puta dejectionum faetor, abdominis durities, lenticulae, petechiae, maculae, vibices, animi deliquium, sudores viscidi et gelidi, extremorum frigus, singultus, delirium, et invita urinae et stercoris excretio adsint, nil sperandum est.

RATIO MEDENDI.

Medendi consilia ex signis quae maxime urgent, desumantur oportet; cumque dysenteria insigniter, pro diverso typo, facie externa aliisque rebus, variatur, remedia praesentissima et tutissima, eademque administrandi ordo et prae-

cepta ex medici peritia semper pendeant necesse est *.

Qualecunque fuerit mali stadium, si arteriarum pulsus frequentes, validi, et duri extiterunt, aliaque inflammationis signa adsint, sanguis detrahatur oportet. Ubi partes inflammatae enteritidis phaenomena simulant, idem auctor tepidarium, fotus, et vesicatoria commendat. Cathartica mitia, irruente morbo, laudantur: horum praecipuae sunt, sulphas magnesiae, phosphas sodae, infusum tamarindorum cum senna, oleum ricini; quod si haec votis parum respondeant, acriora cathartica, pulvis radicis rhei et jalapae, submurias hydrargyri dentur oportet.

Enemata, quippe intestina foventia, emollientia, doloremque consopientia, magno fructu administrantur. Ex rebus mitissimis, qualia sunt lini vel amyli (cum opio) decocta, jusculum ovillum, mimosae niloticae solutio, aqua tepida, constare debent.

* Vide Moseley on Tropical Diseases.

Diluentia valde necessaria sunt; excretiones promovent, acrimoniam minuunt, sitim restinguunt, cursumque humorum superficiem versus faciunt. Blandissima, serum nimirum lactis, lac e butyratum, pulmenta seu ptisanaria juscula, infusa althaea, anteponenda sunt.

Cum dysenteria ex halitu cutis represso provenire fertur, indusium laneum, et remedia huic excretioni restaurandae idonea, commode adhiberi possint. Hoc consilio sales neutrales, opium, vomitoria nauseam cientia, horumve compositiones, pulvis nimirum ipecacuanhae compositus, seu haustus ex vino antimonii tartarisati et opii tinctura paratus dentur.

In regionibus tropicis medici ob causas jam memoratas hydrargyro in hoc morbo saepissime utuntur. Eorum multi nobis suadent hoc medicamentum nihil profuturum esse, nisi vel interne vel externe exhibeatur, donec ptyalismus lenis supervenerit. Aliis autem auxilium ab eo sine salivatione derivari visum est.

Primo fere parvulis in dosibus, scilicet, unius grani vel duorum submuriatis hydrargyri, omni

nocte et mane, et postea auctis paulatim dosibus, donec signorum remissio, vel fluxus salivae leniter auctus appareat, exhiberi debet.

Multi tamen primo exhibent hoc medicamentum interne et externe, saepius et multo majoribus dosibus, scilicet, trium vel etiam quinque granorum. Si alvus nimis soluta redditur, opium cum submuriate hydrargyri conjungi debet.

Si morbus cum aliqua hepatis affectione consensum habeat, affricetur unguenti hydrargyri semidrachma hypochondrio dextro, semel vel bis in die, pro vi signorum et aegri viribus.

Moseley remedia cutis halitum moventia praecipue commendat; dysenteriam enim intestinorum febrem cutis excretione repressa ortam, iisdemque remediis, quae humorum cursum cutem versus efficacissime festinant, maximeque in sudore promovendo, vi pollent, optime mederi opinatur.

Indusium laneum, quippe quo cutis a frigore defenditur, ejusque anhelitus intenditur in omni dysenteriae stadio, insigniter prodest. Cunctis mali indiciis sublatis, lenis corporis exercitatio,

tonica, idoneum regimenque, aegri viribus accommodatum, quo ventriculi et intestinorum vires restituerentur, praecipiantur oportet. Cura simul adhibenda, ut alvi excretio naturalis sit: aeger ad solitum vitae genus, victusque rationem paulatim redeat, et mali causas, frigus praesertim, caveat.

FINIS.